

per nos ad instantiam honorabilium prelatorum et clericorum inferioris partis Saxonie Magdeburgensis et Bremensis, vicinorum locorum et provinciarum editam sic in ecclesiastice libertatis iuvamine concessam ad suam Rigensem provinciam necnon prelatos canonicos et clericos ipsius ex innata nobis benignitatis clementia extendere gratiosius dignaremur<sup>1</sup>. Cuius quidem legis tenor sequitur in hec verba:

In nomine etc. folgt Huber n. 3007 von 1359 Oct. 13 (f. 143).

Nos igitur volentes sanctarum ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum nobis et sacro Romano imperio subiectarum, ut tenemur ex assumpto imperialis officio dignitatis, sinceriori affectu communibus utilitatibus et defensionibus signanter intendere, presertim ut hii quos divina providentia suo deputavit ministerio<sup>2</sup> sub felici nostra protectione eo sincerius altissimo famulentur, ac supplicationem prefati archiepiscopi fore iustum et rationi consonam<sup>3</sup> recensentes eidem clementer duximus annuendum de principum ducum comitum baronum procerum nostrorum et sacri Romani imperii fidelium consilio ex certa scientia et de nostra imperiali magnificentia dictam legem cum omnibus et singulis suis clausulis punctis terminis et penis in ipsa contentis ad suam Rigensem provinciam necnon prelatos canonicos et clericos ipsius, devotos nostros dilectos, extendendam decrevimus et extendimus, presentium per tenorem decernentes [et] ex nostra imperiali sanxione statuentes, quod dictus archiepiscopus prelati canonici et clerici in dicta sua provincia Rigensi pro tempore existentes dicta nostra lege uti frui cum omnibus suis effectibus libere valeant perpetuis temporibus et futuris<sup>4</sup>. Precipientesque sub indignatione imperialis banni<sup>5</sup> universis et singulis dicte Rigensis provincie dominis temporalibus consulibus potestatibus et in officiis publicis constitutis, quatenus dictam nostram legem suscipiant ac ipsam per omnia et in omnibus suis preceptis et mandatis obediendo fideliter sub predictis penis realiter exequantur. Signum serenissimi principis et domini domini Karoli quarti Romanorum imperatoris invictissimi et gloriosissimi Bohemie regis. Testes huius rei sunt: Venerabiles Iohannes Pragensis apostolice sedis legatus et Petrus Magdeburgensis archiepiscopus, Fridericus Merseburgensis et Conradus Ratisponensis ecclesiarum episcopi, nobilis (f. 143') Petrus Warteburgensis imperialis curie magister, Tymo de Colditz capitaneus Wratislaviensis, Conradus de Paphenheyem sacri imperii marschalcus et alii quam plures nostri et imperii sacri nobiles et fideles. Presentium sub nostre imperialis maiestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Pernis<sup>6</sup> super Albeam anno domini millesimo

1) cod.: 'dignaretur'.

2) cod.: 'misterio'.

3) cod.: 'consonari'.

4) cod.: 'effuturis'.

5) cod.: 'imperiali litteram'.

6) cod.: 'Pernus'.